



Stock -  
flecke!



4 Weizmanni s. Christ. Eberh. iuste rationes  
collectionis Canonice Scripturarum  
Sacrarum, contra modernas quasdam  
objectiones vindicato, Tübingen  
1737.

specimen Magni Schili a. 1736  
versus religionis, Tübingen 1739.

diff de veritate divina, puer  
Acit expulsa, tamen usq; Recurata  
Tübingen 1740.

Varia Sacra, Tübingen 1738.

Renovata exceptiones contra  
Divinam institutionem Baptismi et  
S. Vero Tübingen 1736.

Responsiones speciales ad Georgij  
Bullij objectiones de justificatione  
fieri, Tübingen 1733.

7. Weizmanni, Christ. Eberh. s. diff. sicut expositio  
sermones pro sensu spirituali revelationis  
Tubingae 1735.
8. ——— diff. de Catechis, tubingae 1722
9. ——— Apocalypsis ex excellente doctrina fidei  
tubingae 1732
10. ——— diff. de fide et opere Christianorum  
ex Quatuor ad Romanos tubingae 1726.
11. Wessobrunn, I. Jes. sp. s. diff. subordinatione filii  
in Divinitate non admittenda jenae 1730.
12. ——— quia Adoratorum universa lisimus  
gratia frustra pietatis exhibetur jenae 1726.
13. ——— diff. postur theologiam moralen  
meriti philosophia multo protestantiorum  
jena 1731.
14. ——— diff. de libro int. triviale, 1723.
15. ——— diff. de Divinitate spiritus sancti  
et a presertato nichil, jenae 1740.
16. ——— vestigia pluralitatis et trinitatis  
in officiis divinis in libro sapientiae oritur,  
rentia, 1730.
17. ——— velim entem fidei ac pietatis  
e designate reformatorum de abhilitate  
decimo enatium jenae 1725.
18. Wellers, Iac. diff. de Angelis, tubingae 1638.
19. Werenst. I. H. J. Jonath. s. diff. de iugo  
Irenie Lippse 1683.
20. Werner, I. H. s. de uana spe missione  
iudicium conversionis simulacrum  
ante diem et locum adhuc  
explicandum Lippse 1741.

- 21 Werner. I. Joseph. Christopher. / diff. de Iosua  
Summa iudiciorum sacerdotale p[ro]m[iss]o 1741
- 22 Werner dorf. / gottl / diff. de exploratione sue  
p[re]fuer fidei, Wittenb. 1701.
- 23 — diff. demonstrans quod Ober  
sapientie et Cor[poral]is tions pro canonis  
civis non sint habentis Wittenb. 1702.
- 24 — diff. de adventu Christi ultimo,  
Wittenb. 1714
- 25 — diff. de inspiratis recentiis  
Wittenb. 1715.
- 26 — diff. de reliquiis imaginis Divinae  
Wittenberg 1716.
- 27 exploratio spiritus broadellianus  
qua doctrinam de principiis cognoscendi  
theologiam Wittenb. 1747.
- 28 — diff. representans Christum sec  
hominem sive exemplis Wittenb. 1706
- 29 — diff. rei circa libertatem suam  
doceandi Wittenb. 1702.
- 30 — diff. de iudice iusto non  
injuste iudicante Wittenb.
- 31 — diff. de fundamento fidei  
Wittenb. 1709.

t. 3  
VERITAS DIVINA  
FURCA LICET EXPULSA  
TAMEN USQUE RECURRENS

QUAM  
DEO JUVANTE  
PRÆSIDE  
CHRISTIANO EBERHARDO  
WEISMANNO,

THEOL. D. ET PROF. ORD. atque DUCALIS SEMI-  
NARI THEOLOGICI SUPERATTENDENTE

*Ad dies Mensis JAN. A. D. MDCCXL.*

h. locoque solitis

Publice ventilandam proponent

*RESPONDENTES*

M. JOH. JACOBUS ERBE, *Tubingensis.*

M. JOH. BERNH. DESPINOVY, *Urac.*

M. FRID. CAROL. WINTER, *Stuttg.*

S. Theol. Stud. & Serenissimi  
Stipendiarii.

---

*TUBINGÆ,  
LITERIS JOSEPHI SIGMUNDI.*





## §. I.

**A**D fata religionis sinistra illud quoque pertinet, quod veritas, maxime divina & salutaris, quantumvis in se clara, multis praefidiis munita, efficax, & probata, non raro certis temporibus, certoque generi hominum, fiat indemonstrabilis: ad læta autem & prospera, quod semper ea iterum veniant tempora, quibus, si non simul & semper veritatibus omnibus, huic tamen, vel isti, primum, sua reddit lux, gratia atque Victoria.

\* Utriusque casus famosa & illustria extare specimina, non modo sacra nos docet Historia, sed & ex omnium ætatum monumbris satis laudabile est. Olim in magna parte generis humani quasi interisse videbatur divina veritas. Alio tempore etiam post gloriosas origines & principia non satis diu pro dignitate & officio Ecclesiae suam puritatem, suumque robur, servavit. Alio in latibulis & tenebris vix se tueri potuit, & languidos trahere Spiritus coacta est. Alio vix eluctari incipiens nova & magna passa est decrementa atque deliquia. Uno & altero capite Lernæ abscisso centum alia repullularunt, hostibusque singulis nonnunquam superatis integri novorum inimicorum successerunt exercitus.

citus. Quodsi phænomena & recessus horum malorum simi-  
lumque consideremus penitus, in promptu causas esse videbi-  
mus. Dabimus aliquas, sed verbis generalibus. Ponamus, ve-  
ritatem divinam lucere, pulsare, offerre se, imo sæpe obtrudere  
hominibus. At ponamus simul, apud multos non adesse veri-  
tatis amorem: abesse docilem animum: Spiritum DEI rarum  
ad corda habere accessum: regnare carnem: hic obbrutescere  
homines: alibi in falsa evanescere sapientia: paucos adesse sapi-  
entes, qui mendacio fortiter resistant, eosque ne audiri qui-  
dem: multititudinem in perversis viis incedere: augeri colores  
& pigmenta deviationibus atque erroribus destinata: Syncreti-  
sum veritatis & mendacii decipere: interiorem Spiritus disci-  
plinam vulgo & quasi jure negligi: infinitis diverticulis distra-  
hi homines ab uno necessario: in throno collocari & regnare  
falsitates: sectaria studia viam veritati undique præcludere: non  
sine ingenti sacrificio salvam esse religionem in armata potentia  
erroris: contemni & negligi instrumenta DEI: diffamari opti-  
ma DEI instituta: per spinolas & affectatas controversias tenebris  
& studiis partium involvi omnia: videntibus oculis non licere  
videre, nec audire audientibus auribus: errores e paroxysmis  
notabilibus luæta cum veritate cum successu emergere: dura,  
molesta, & murmuratoria tempora turbis & affectibus implere  
homines: malis temporibus prudentes ad silentium redigi. Po-  
namus, inquam, hæc omnia, & multa alia similia, nec mira-  
bimur amplius, veritatem divinam certis temporibus, certoque  
generi hominum, fieri indemonstrabilem. Quam funestus autem  
& tristis est hac parte religionis & veritatis adspectus: tam læta  
& amabilis est rerum conversio, cum vel ex toto, vel ex parte,  
veritati inter homines suus restituitur honor, cum lapsa refurgit,  
cum victa prius triumphat, cum invitis quandoque hostibus &  
ringentibus hac illac erumpere incipit, & ex illorum quoque  
percepitur ore & calamo, quorum longe alia vox estet, nisi  
veritas eos cogeret loqui vera & candida. Imo etiam præter  
has stricturas & scintillas veritatis hinc inde emicantes tempus  
erit aliquando, quo hostes veritatis & Ecclesia DEus induet pu-  
dore, sed super ipsa florebii corona ejus: Angustata est illa ab adolescen-  
tia:

tia : sed hostes ei non prævalebunt : Facit bene Jehova bonis & rectis in cordibus eorum : qui autem declinare faciunt ambages suas , eos abducet cum operantibus iniquitatem : Lux feminata est iusto , & rectis corde latitia : Non deseret Jehova populum suum , & hereditatem suam non derelinquet ; quin ad iustitiam redibit iudicium , & post illud erunt omnes recti corde . Non essem hæc omnia præfatus , nisi thema Dissertationis , quam nunc meditamus , eo nos invitasset . Veritas sc. divina , furca licet expulsa , tamen usque recurrens , non nullis exemplis , nuper demum abs me lectis expensisque , pro ambitu paginarum a nobis illustrabitur . Nec inutile , ut spero , ea erit meditatio , nec a nostro tempore aliena , nec indecora veritatibus illis , quæ tam egregias confessiones ipsis etiam adversarii nostris expresserunt . Proponemus autem nostra libero ordine , vel , si quis ordo hic erit , secundum filum & ordinem lectionis nostræ proponemus ea , quæ huic instituto nostro præ ceteris inde convenire judicavimus . DEus autem ipse suum veritati pretium , errantibus amorem veritatis , veritatem agnoscientibus candorem & Zelum ubique donet ac restituat .

## §. II.

Veritas est antiqua & inviolabilis , divinas veritates ex ipsa revelatione divina cognosci posse cum certitudine , cognitas vero nullis , sive privatis , sive in autoritate constitutis , hominibus sacrificari debere , quicquid illi sua parte de iisdem sentiant , vel non sentiant .

\* Hanc veritatem multis modis violant & obscurant , imo per furcam *autoritatis* violentæ expellunt ex Ecclesia , qui dicunt , veritates religionis non posse divina cum certitudine teneri , nisi mediante propositione infallibili Ecclesiæ , qui fidem Christianorum ad minimum *directive* ab eadem pendere docent , qui denique urgent omnes alias , ut fidem ac cognitionem suam docentibus , vel saltem majori eorum parti , *sacrificent* , quam convicti etiam sibi videantur . Enimvero hanc veritatem , etiam furca expulsam , tamen usque recurrere , & alte se infigere conscientiis , sequentibus verbis ostendimus . „Quantumvis , inquit Scriptor aliquis

moder-

*modernus partis RC.* divisa sint opiniones, non tamen ideo necesse est, ut sua ex parte dubitent, qui semel claram perspexerunt veritatem. Cum illa se offert cum evidentia, assensum & obsequium nostrum postulat, & tantum abest, *ut nobis tunc licet sacrificare convictionem nostram* (hoc enim nihil tum esset aliud, quam *ipsum sacrificare veritatem*) ut potius omnia veritati immolare teneamur. Omnis error innovatio est. Quicquid novantes oppugnant, ante eorum aggressionem certum erat. Num illorum temeritas, vel, si mavis, ignorantia incertum reddet dogma, quod in verbo DEI video, cuius autoritati nihil par est? Sint illi magno numero, sint existimatione ingenti, sint potentes & callidi: Valeant impedire decisionem illos citius aut serius condemnaturam: gemitu hoc dignum est. *An vero ea de causa sponte renunciandum erit gratia divina, per quam Deus me dignatus est cognitione veritatis?* Annon ingratitudo, & infidelitas, & species sacrilegii hoc esset, si obedientiam Verbo DEI debitam suspenderem ab approbatione, quam dare hominibus non placuit? „ & rursus: „Num ideo necesse est diffidere meæ notitiae, & dubitare quasi humilitatis specie de hujusmodi veritatibus, quoniam eae non vident? . . . Non reliquerunt Apostoli veritates problematicas. Nihil, quod incertum esset, docuerunt. Non sic vel *non in ipsis* erat, sed veritas divina. Jure fideles ipsorum sermonem receperunt, *tanquam Verbum DEI*. Paulus *anathema* dicit in eos, qui contrariam ipsis doctrinam sint praedicaturi. Quodsi omnes ceteri Doctores fideliter tradidissent doctrinam ab ipsis relictam: si omnes discipuli religiose servassent & tradidissent sequentibus id depositum, nulla unquam, nulla hodie, super ulla veritate revelata potuisset oriri disputatio. Horum negligenter permisit seminarie Zizania: illorum audacia seminavit. Admixta sunt auro, argento, & margaritis veritatum divinarum scenam, palea, & ligna opinionum humanarum. Multi minus curate eas docuerunt: alii eas ignorarunt, aut obliuione sepeliverunt: alii enervarunt & impugnarunt: Hac via non nulli doctrinarum articuli obscurati sunt, quos Apostoli eadem cum certitudine, qua ceteros omnes, docuerunt, & quemadmodum *nonsilli absconditi fuerunt ante decisionem*, sic eadem ratio-

ne

ne id fieri potest post decisionem,, Quis non videt, in his verbis multas recurrere veritates, multa veritatum semina, quæ alias in illa Societate suffocari, & furca expelli solent? Concilient, qui talia scribunt, dicta sua cum Systemate suo, quantum possunt. Neget pars dominans, jure hoc eos facere. Nos justam inde conclusionem deducimus, ad *justitiam semper ab exilio redire judicium*, & rectos corde illud secuturos.

### §. III.

Sponte sua ex hac tenus dictis sequitur, etiam sine tanto apparatu autoritatis privatos quoque suo iudicio posse verum a falso, venenum animæ a salutari cibo, discernere, atque adeo, quantum ad illius salutem necessere est, fugere falsa, mala, & noxia.

\* Arduam & gravem esse hanc veritatem, pridem a nostris solidis & copiosis argumentis ostensum est, quæ nunc repeterem nolumus. Sed & pridem notum est, quibus furcis expulsa sit, & expelli soleat ab adversariis nostris. Videamus, quomodo eadem semper recurrat in casibus seriis, in amaro sensu & experimento oppressionis illius, sub onere injustitiae non modo se se exerentis in decisionibus illegitimis, sed etiam prementis gravantisque in ipsa decisionis omissione ex multis variisque generis causis, maxime dum per eam jus civitatis & libertatis privilegium impetrant dogmata & principia male sana & veritati salubri multis modis contraria. „Misere falleretur, inquit *idem Scriptor*, qui crederet, fidelibus Apostolicis Christianis similibus fluctuandum circa veritates quasdam, quas tot Catholici moderni vel infelicitate ignorant, vel temere impugnant. Plerique novorum fidelium illius ævi erant *simplices*, & a mundo contemti. Sed erant illi simul *spirituales* homines, apti ad probandum omnia, folique bono adhaerentes: erant *ores nec peregrinum, nec mercenarium, audientes, ac probe discernentes vocem boni Pastoris*. Sollicite legebant Scripturas, lectasque meditabantur pie. Servabant in cordibus suis depositum doctrinæ Apostolicæ, suisque liberis purum transmittebant. Ex eorum numero erant, de quibus dictum est, quod

quod agnitiuri sint falsos Prophetas e fructibus eorum. Date nobis tales simplices, & videbitis, eos non fluctuare in articulis, quorum examen vel tribunal Inquisitionis sibi reservavit. Sinceritas cordis excellens medium est confirmationis fidei certarum veritatum, etiam controversiarum. Deinde etiam simplicissimi fideles bono Pastore vel Confessario instructi discunt regulas vitae Christianæ veraque poenitentiae, ac si nunquam a malis Casuistis essent impugnatae. Si quis prætenderet, eos tam diu dubios hærere, donec Pastores Ecclesiæ ad illas decidendas coiverint, idem faceret, ac si quis diceret, simplicem neminem posse venenum sibi oblatum prius a se rejicere cum horrore, quam Facultates Medicæ universitatem congregatae de eo judicium tulerint. Immo vero Medicus quivis, Chirurgus quilibet & Botanicus, quævis femina hujus veneni gnara ad hunc finem potest sufficere &c. „Verum quidem est, Scriptorem, cujus verba allegavimus, ad eum casum maxime respicere, quo dogmata, etiam gravia & salutaria, nondum ab Ecclesia tota definita sunt, vel definita esse creduntur: non vero de eo loqui, quid faciendum sit, quando ista decisio Ecclesia secuta est? Sed præterquam, quod idem ad eam Ecclesia decisionem, ut pro vera, legitima, & obligatoria haberi possit, multas plane & valde controversas requirat conditio-nes, quas major pars illius Ecclesiæ non agnoscit: certe ratios ab eo adductæ pro jure privatorum in exploranda & cognoscenda veritate aut nihil probant, aut plus probant, quam in hac exceptione prætenditur. Quodsi enim verum, rectum, & verbo DEI contentaneum est, quod ante illam decisionem per viam ab ipso monstratam privati crediderunt Christiani: certe tale esse nequaquam definit, et si Ecclesia postmodum definiret contrarium. E. g. si ad majora suffragia ordinis Episcopalis cum Sede Romana conspirantis in acceptatione Constitutionis Unigenitus tandem accederet illius Ordinis unanimitas, (quod utique ut fiat successu temporis, & per varia media, impossibile non est) stante distinctione modo allata, aut statuendum erit, id, quod ante hanc unanimitatem decisionis crediderunt illi dissidentes esse verum & Catholicum, revera verum & Catholicum non fuisse, (quod tamen illi firmissime habent persuasum) aut pro vero & Catho-

Catholico etiam post decisionem, etiamsi illa adversa esset, constanter esset tenendum, nisi omnia illa principia & verba, quæ supra excerptimus, velint incumbere in spongiam. Quicquid vero horum sit, nobis saltem quovis jure licet ex *hactenus dictis* arguere, posse quidem veritatem illam corrumpi, enervari, etiam furca quandoque expelli, sed eam quoque reviviscente conscientia, & accedente candore, a studio partium alieno, semper esse reddituram apud eos, qui verum & rectum vel amare incipiunt.

#### §. IV.

Non est exigui momenti veritas, non licere homini Christiano per cæcam & absolutam subjicere se hominibus obedientiam in rebus religionis, & rem esse periculosa consequentia, eam a conscientiis exigere, &, cum exigitur, præstare.

\* Etiam hæc veritas multis modis corrupta, enervata, imo etiam expulsa est per RC. Ecclesiæ principia & praxin, quæ nostra quoque atate creverunt magis, quam decreverunt. Eo usque obedientia ista extenditur, ut ejus eo facilius exercenda gratia multi interea abstineant ab omni assensu & judicio, imo & examine, in rebus magni quoque ponderis, & quasi in una hac, eaque generali, docilitate in omnem eventum *essentialis momentum sue religionis* collocent, parati ad quasvis decisiones amplectendas, sive in hanc, sive in illam, partem tandem recidant. Non tamen deficiunt exempla eorum, qui veritatem, furca licet expulsam, tamen usque recurrentem heic denuo profiteantur. „Non miror, inquit *quidam RC. Theologus*, hujusmodi regulas plausibles videri hominibus spiritu mundi plenis; qui tantum amant suam quietem, quam parum veritatem diligunt. In eo statu tentantur homines, ut nihil examinent eorum, quæ adducuntur in controvèrsiam, & abripi se patientur in torrentem per principium falsæ humilitatis, ac semper stare solent a parte fortiori, prætexentes, majori autoritati esse cedendum: Tentantur ad supponendum, quod veritas a parvo numero non possit pure agnosciri, & cor-

B

date

date defendi, quodque nihil sit periculi in sequendo multitudinem: Tentantur ad judicandum, eos, qui cedere recusant, esse pertinaces, superbos, ac præsumtuosos. Fingunt denique, quemadmodum extra Ecclesiam nil nisi error est, sic eadem ratione nullam esse tutam semitam, nisi cum cæcum magno numero Pastorum præstatur obsequium, &c., In alio quodam scripto hæc omnia dicuntur adhuc fortius & significantius. „Abis, inquit illius *Autor*, ut minuere velim reverentiam legitimæ autoritati debitam. Num vero obedientia, quam inferiores superioribus debent, absoluta & illimitata est? An ipsis semper sine discrimine obsequendum? Nonne dantur occasiones & casus, in quibus iudicio & ratione propria uti necesse est, ut justitia vel iustitia præcepti possit explorari, ut scire queamus, id, quod nobis credendum proponitur, doctrinæ Ecclesiæ convenire, aut non convenire? Si inferiores semper absoluti sunt ab omni examinæ, cur *Dominus* nos monuit, cœcos se invicem ducentes in foream utrinque incidere? Cur *S. Johannes* prohibuit cuivis credere Spiritui, jussitque examinare, num *Spiritus ex DEO* sint? Cur *S. Paulus* vel *Angelo* aliud *Evangelium* nuntianti anathema dixit? Imo ipse *Paulus* in faciem *Petro* contradixit *hanc ambulanti secundum Evangelium*. In his casibus & circumstantiis fas non est accusare inferiores inobedientia & seditionis, cum superiores nullam contra veritatem acceperint autoritatem: non enim, ait *Apóstolus*, p̄fūmūs aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Est, fateor, obedientia cæca valde commoda nostris temporibus. Ea religionem facit facilem & tranquillam. Nihil examinatur. Requiescit in Superioribus. Omnia in ipsorum rationes referuntur. Nihil tunc opus est cum ipsis contendere, vel quidquam ab ipsis meruere. Sed an propterea nullum adest salutis periculum? An illi, qui tales sibi obedientiam pro officio meritoque reputant, certi sunt, DEum ipsis non esse imputaturum quævis mala, quæ inde consequuntur, qualia sunt persecutio bonorum, calumniæ in eos effusæ, facilitas inde enata probos vexandi, dejiciendi, uno verbo, tractandi eos instar excommunicatorum? „Quis dubitet, magnam in his sermonibus emphasin esse: & signa manifesta veritatis semper recurrentis, quoties pro conscientia, & ex legitimo

*mo Systemate veritatis*, loquendum est ? Cogitet contra , cui libet , quam aperta sint indicia erroris , & periculi erroris , in altera & contraria sententia , quam verbis Gallicis nonnemo sic expressit : C'est ici le remede , que J. C. a propos<sup>e</sup> contre toutes les operations de l'erreur , & de l'ignorance , qu'il est universel , continuell , perpetuel , si ais<sup>e</sup> , que sans fauoir precisement , de quoi on dispute , ni quel est le sujet de la division , il suffit aux simples , pour n<sup>e</sup> etre pas expos<sup>e</sup>s a l'incertitude & a l'irresolution , de savoir , ou est le vrai ministere , & le gros de l'armée : qu'ils n<sup>e</sup> auront , qu'a se souvenir , qu'ils ont des Pasteurs , a les ecouter , & a les croire avec simplicité . &c.

### §. V.

Jactationi E. R. de sua unitate dogmatica , consen-  
suque unanimi in omnibus necessariis & arduis religionis  
capitibus , atque etiam in solis problematicis & indifferen-  
tibus dissensu , tanquam fundatissima doctrina objecta est ,  
contrarium verum esse , & multis exemplis posse probari .

\* Hanc veritatem videmus ab adversariis fortiter negari , a non-  
nullis etiam per furcam expelli . Sed tamen usque eam recur-  
rere , domesticis quoque facile confirmari potest confessionibus ,  
iisque novissimis . Thesis nonneminis hæc est : Des verités tres-  
importantes peuvent être meconnues , combattues par le grand nombre ,  
& même être misées par plusieurs au rang des erreurs condamnées ; vel ,  
ut in *textu* idem exprimitur : „Fieri potest , ut veritates revelatæ ,  
eaque ponderosissimæ , usque adeo non doceantur ab universa Ec-  
clœs ; ut potius certis temporibus videri possint incognitæ &  
oblivioni traditæ , & , quod adhuc tristius est , sint ab ingenti  
numero impugnatæ , censura QQ. Pastorum notatae , & ab ipsis  
fidelibus plurimis tanquam damnatae per autoritatem infallibili-  
lem aestimatæ . „ Ad quod probandum deinceps doctrinæ de in-  
dependentia potestatis secularis , autoritate supra<sup>e</sup>ma Conciliorum , jure  
ad ea appellandi , item corruptio Ethics Christianæ per Casuas no-  
vas , negotio necessitat<sup>e</sup> amoris DEI ad Sacramentum paenitentia ,  
multaque alia similia allegantur , ac pathetice deducuntur . Pau-  
cis , hoc pertinent omnia gravamina C. U. opposita a Dissidenti-  
bus

bus quoque summi ordinis, ea que longe momentosissima. Nam si capita ibi controversa res concernunt problematicas & indifferentes, quid opus est tot anathematibus & turbis odiosissimis? Quodsi vero sunt magni ponderis & periculi, ut pars utraque dissentiens arbitratur, quo jure negatur, in ipsa R. E. de rebus summi momenti dissentire partes dissidentes & in magnas factio-nes divisias? Cur negantur ulcera, tenebrae, confusiones radicatissimae illius ipsius Ecclesiae, quae vult haberi pro pura, omnibusque rugis & maculis vacua? Sed audiamus plures adhuc voces veritatis, furca licet expulsæ, & tamen usque recurrentis de Ecclesia decretensis, obnubilationibus, & imbecillitatibus. Post exhibita hujusmodi specimena sic pergitur: „Enim vero in media hac confirmatione Ecclesiae dicere, fieri non posse, ut tale quid ea patiatur, quid hoc aliud est, quam insultare nostræ calamitati, atque ipsos etiam planctus & lacrymas nobis interdicere! Nonne hoc idem est, ac postulare, ut morbum Ecclesiae ea de causa statum perfectæ sanitatis esse credamus, quod, si haec vera crederentur mala, promissiones divinæ vanæ essent ac inutiles? Nonne hoc tantundem est, ac cantica nobis imperare in diebus captivitatis nostræ, atque in media Babylone hymnos velle occini, qui convenient dedicationi templi, & paci Sionis?.. Utique haec mala, ut agnoscantur & deplorentur, oculos requirunt vi-dentes, & cor tenerum: sed, si vel paululum ejus adsit sensus, de decrementis Ecclesiae dubitare non licet. Neque ea ad solam pertinent disciplinam. Ipsa etiam doctrina, ut in Ecclesia sub-sistens, obscurata est in dogmatibus seu articulis gravissimis apud ingentem multitudinem. Et malum idem ad ipsam etiam disciplinam progreditur. Sponte sua sequitur ex pietate decrescente minor adversus errorum vigilancia, qua deficiente ille se diffundit, autoritate sibi conciliat, & radices figit: sicut e contrario er-ror authenticus & regnans pietatem enervat, vel etiam omnino delet. „Legi his diebus adhuc graviora apud Theologos ejusdem Communionis, & quidem ab utraque factione, qua hodie R. E. constituit ac dividit, serio & cum Zelo alienos. En verba Scri-ptoris ex ista classe recentissimi. „Movet me, sic ille, ad scriben-dum paradoxa dispositio animorum in hoc miserabili seculo. Qua-

si nativam & terribilem antipathiam fovent contra veritatem. Unde quaque haec ignoratur & rejicitur. Si hic ibi emergit, infinito ad hoc labore & conatu opus est. Nec ubique cum evidentiā & demonstratione omni se potest penetrare. E contrario corda & aures semper patent quibusvis fabulis & phantasmatisbus, undecunque se offerant. Stupenda cum facilitate & rapiditate error se insinuat. Aequa pertinax est, ac ambitiosus. Etiam claris Scripturae & traditionis decisionibus resistit. „*On soutient les plus grandes heresies par gout, par conviction, par esprit de parti, par interet, & meme par honneur, parcequ'on ne veut reconnoître aux yeux des hommes, qu'on s'est trompé...*” Video, (sic pergit post intervalla querelarum acerrimarum) religionem in statu deploratissimo. Intimo afficior dolore, dum video, *ipso Theologorum errores causam esse tot malorum, & rationes agendi, partialitatem, & falsas opiniones duarum sectarum principalium inter ipsos multas myriades per haereses & schismata perdere...* Ob neglectam fundamentalē regulam verbi scripti & traditionis tanta Theogiam invasit confusio : tot opinione pure humanae in dogmata converſa sunt : atque religio facta philosophia vana, scientia immensa & impenetrabilis, cum potius Deus etiam simplicissimorum intelligentiae eam adaptaverit.. Ab eo tempore *simplicitas nobilis religionis evanuit.* Vix quidquam superest praeter inanes subtilitates, distinctiones falsas, & Sophistiken Dialecticorum, ac visionariam Metaphysicam ; praeter rixas, opinione absurdas, erroresque funestos, qui fidem perdiderunt, armarunt haereticos, & inter ipsos fideles sparserunt semina funesta divisionis, quibus lacerantur. *Sic Deus ulciscitur oblivionem & contemptum verbi sui in illo, qui veritatem querunt in imaginationibus ingenii humani, & scientia falsa atque carnalis principiis.* „ Plura verba non excerpto. Facile autem est intelligere, etiam pauca ista plurimum habere in recessu, eaque fluxisse ex animo & pectore, in quo ex multis furcis caudinis veritas oppressa & captivata tandem emersit : nec non falsissimum esse, quod vulgo partim de exiguo momento dissensionum domesticarum E. R. partim de florente ejus & triumphante statu secundum spiritualem ac divinam aestimationem prætenditur.

Theologos, quos vocant, Scholasticos cum ratione materiae, tum ratione formae docendi, plurimum contulisse ad corrumpendam simplicitatem, gravitatem, & puritatem religionis, verissima fuit Majorum nostrorum querela, ac magnis rationibus suffulta, quarum Protstantes sapientes & cordatos nec hodie pudet.

\* Hanc veritatem fuisse ab adversariis nostris cum indignatione & contemptu exceptam, ac furcillatam quasi, ex Historia controversiarum notissimum est. Sed nec illud temere quis negaverit, in ipsa quoque Ecclesia Romana Theologiae illius Scholasticae pretium postea valde fuisse imminutum, eosque, qui praeceteris Theologis hodie valent in ista Communione, in materia & forma satis longe a Scholasticis recedere. Idque ne sufficit quidem: quin potius novissime legimus integrum Anonymi cuiusdam R.C. librum, qui totus autoritati & existimationi nimis longe provectione Doctorum Scholasticorum in sensu ampliore acceptorum oppositus est, & quantum illi religioni & Ecclesiae noceant multis argumentis, & patheticis formulis docet. Mensem hujus Autoris propriis illius verbis describemus. „Quid, inquit, Scholasticos, iterum dico, Scholasticos, in materia fidei Christianae audiemus? Illos ipsis, qui maximam partem tam lethalia ipsis vulnera infixerunt, qui, si fas sit tam audacter loqui, tam ferociter tractarunt religionem adeo divinam: (*ont traité si brutallement une religion si divine*) in quibus denique vix quidquam legi, quod principiis fidei communissimae adversum, aut innumeris erroribus infectum non esset. De cetero ad quos Doctores Scholasticos me remittes? num ad *Jansenistas*? ad *Thomistas*? ad *Molinistas*? ad *Scotistas* denique? Omnes haec Scholae mutuo se accusant erroris & consequentiarum impiarum. Sunt hi adversarii in gravissimis articulis sibi invicem contrarii: illi crudele bellum sibi mutuo inferunt, imo inferunt religioni ipsis, si ipsorum accusationes mutuas audiamus. Utinam taceant, sive hi, sive illi! imo utinam disppearent omnes! Imo vero disppearibunt aliquando, & veritas exul in nativa iterum forma comparebit.”

*Alio*

*Alio loco sic alloquitur Eum, cuius gratia scripsit Discursus suum:*  
 „Sicne decet *refros Scholasticos* jactare se (*sc. in corpore & consensu supposito*) infallibilis, ac judices etiam fidei, cum in infinitos errores super omnibus articulis religionis prolapsi sint! Ex his erroribus quosdam Scholastici tuerunt unanimitate: alios defendit ingens Theologorum numerus. Nulla est inter ipsos Schola, quæ non veritatibus quibusdam sibi elapsis capitales contra fidem errores addiderit. Visibiliter apparet, punire Deum ipsorum superbiam coram oculis totius mundi, dum hos Theologos tradidit in hæc monstra errorum.. Sub nomine opinionum Scholæ permisum est his monstrosis erroribus intrare, & radices figere in Ecclesia mitigatis nominibus. Hac via *rei evadunt indignationem & censuram*, quam promerentur. Hi *infelices Scholastici* perdidierunt in Europa religionem, & principes eorum errores excitarunt turbas inde a seculo ortas, Ecclesiamque in miserum illum statum conjecerunt, in quo hodie deprehenditur.” *Alio loco*, postquam sibi objeceraut, nihil esse periculi ab his *Scholis* propter perpetuas dissensiones, quæ non permittant, ut ad eam emergant unanimitatem, qua sola ipsorum consensus meretur haberi infallibilis: sic deinde respondet: „Utique verum est, *Scholas istas* inter se discordare, hincque earum contra veritatem tentamina infirmari & librari. Sed quid tum fiet, si quando per tricas, per artificia & beneficia, per vim, per præjudicia populum, per autoritatem Principum, per falsas denique criminationes perite adhibitas, aliaque media familia, *barum Scholarum alias*, ceteris abolitis, vel reunitis & ad reunionem coactis, sola dominaretur? Id sane impossibile non est. Ponamus jam, hanc mutationem aliquando futuram. Unica hæc Schola, quæ tum constituet *totum Theologorum Corpus*, hoc ipso prætendet infallibilitatem. Tunc sane difficile ipsi non erit unanimitatem consequi in decisionibus fidei, atque adeo & autoritatem in illis infallibilem. Fiat judicium ex simili exemplo. Quando olim ipsi Pontifices sine repugnancia patiebantur sibi contradicere ab Episcopis, confirmare sua decreta per concilia Nationalia, ad suas preces convocari Concilia generalia &c. quis tum ereditisset, Pontifices ipsos se tanquam tribunalia suprema fidei habituros,

decla-

declaraturos infallibiles, & pro tali a maximo fidelium numero agnitus iri? Certe si quis eo tempore hæc prædixisset, sermones illius effuse risissent ceteri, idque fieri posse, negâssent. Et tamen hæc infallibilitas Paparum inter omnes Nationes Catholicas sedem fixit. In ipso regno Gallia infinitus est eorum numerus, qui eam credunt ac defendunt. Cur non idem fieri possit circa infallibilitatem Scholæ unius, & in unicitate sua non minus peritæ & potentis, atque Curia R. est? Quantum ad fastigium tunc evehet hanc autoritatem supremam super populos, super Episcopos, super totum Corpus Ecclesiæ, imo super Principes ipsos? Absolute igitur necessarium est, destruere & nullificare convincere hanc infallibilitatem Scholasticam. Pentre, qu' a cette vüe les Theologiens mêmes seront confondus, & que, s'ils ne renoncent pas a leur autorité infallible, pour être vraiment Chretiens, ils y renonceront pour n' etre pas ridicules., Nos nostra ex parte multa plane vestigia hic deprehendimus perspicaciam haud vulgaris, & recurrentis maxime veritatis non unius, furca licet expulsæ. Cetera DEO & eventui relinquimus.

## §. VII.

Gloriationi E. R. de sanctitate doctrinæ & præceptorum suorum reposuerunt Protestantes hanc veritatem, quod nulla alia in Ecclesia tam perversa & periculosa regnent principia moralia & Casuistica, quodque huic pesti nunquam, ut par erat, & necesse, obviandum fuerit ab Antistitibus Ecclesiæ Romanæ, summis quoque.

\* Sane hæc veritas, quam magna etiam pars *R Catholicorum* agnovit, & agnoscit adhuc hodie, semper tamen denuo a parte prædominate obscurata, & per furcam expulsa est. Ampla & aperta esset hujus facti *Historia*, siquidem id nunc ageremus. Videamus potius & hoc loco, quomodo, & quibus conatus, hæc recurrat veritas? Is ipse *Scriptor*, quem per totam hanc *Dissertationem* citamus, novissime quoque altas hic emisit voces, ad probandum sc. fieri posse omnino, ut magnæ veritates obscurantur, contradictionem patiantur a plurimis, imo habeantur pro contradic-

dem-

demnatis. „Nemo est, inquit, qui nesciat, quam horribilem  
cladem doctrinæ morum multitudo ingens novorum Casuista-  
rum intulerit. Quid est temere, quod non mutaverint illi &  
corruperint? Quod præceptum Decalogi ab ipsis relictum est  
integrum? Innumera permiserunt crimina, & pœnæ subduxer-  
unt merita peccantes. Mille peccata justificarunt, quæ nec ipsis  
Pharisæi excusâsent. Homicidia, usuræ, Simoniae, furtæ do-  
mestica, calumniæ, corruptiones judicium, perjuria, mutatis no-  
minibus aliam acceperunt formam, & facta sunt innocentia per  
varia artificia. Nec sufficiebat cæcis his ducibus aperire homi-  
nibus tot præcipitiæ tot peccata excusando: ipsas tandem regu-  
las penitentiæ perverterunt. Postularunt, ut ad absolutionem  
admitterentur peccatores in mediis peccatorum habitibus. Per-  
misérunt manere scientes & volentes in occasionibus maximó-  
rum peccatorum proximis. Dispositionem sufficientem ad ab-  
solutionem esse timorem solum sine ulla amoris DEI mixtura,  
professi sunt. Non omnes, fateor, eosdem errores docent uni-  
versos. Hic nonnunquam damnat, quod alter docet: at secre-  
tum hic invenerunt, cujus virtute licet indulgere, suadere, &  
confirmare in praxi, quod in theoria improbatur, & consilia  
dare propriæ convictioni opposita. Nonne necesse est veritates  
etiam magnas obscurari, cum magistri errorum tam audaces &  
spectati evadunt? Honestos gentiles puderet talis Ethicæ, & ni-  
bilo tamen minus videas ipsis citari, consuli, honorari tanquam  
oracula. Quid Diana, Escobare, Caramuel corruptius? Et erat  
Diana Examinator Episcoporum. Escobar quadragies editus est  
tanquam excellens Scriptor. Caramuel ad Episcopatum evectus  
est, atque adhuc hodie ab Archiepiscopo Granatensi Cleri Gallicani  
autoritati opponitur. Hoc ipsis non sufficit, ut tutas credant  
titulo probabilitatis suas sententias. Etiam hoc prætendunt, dete-  
stibiles suas doctrinas solam esse doctrinam Orthodoxam. Aperte  
a se dissidentes ut Calvinistas & hereticos tractant. Etiam cele-  
brioris libere professi sunt, esse hæresin in Concilio Tridentino da-  
mnatam, amorem etiam incepturn in Sacramento exigere. (hac  
omnia clarissimis probantur exemplis) Ipsa veritas passim quidem de-  
fenditur, sed usque adeo timide, ut magnum inde illi ad crescatur op-

C

pro-

probrium. Ingens Zelus ostenditur pro prætenfa obligatione credendi Papæ in omnibus, qui servus est : Zelus nullus in demonstranda necessitate amandi DEum, qui Dominus est supremus Papa & creaturarum omnium. DEus non loquitur, non credi sibi vult, nisi ut diligatur : plerique autem defensores infallibilitatis Pontificie parum solliciti sunt, ut DEum urgeant esse amandum , dum bene quis persuasus sit , semper esse Papæ credendum. Unde jam invincibiliter colligo , maximas etiam veritates posse ignorari & impugnari quoque , non *a toto Corpori Ecclesiæ*, sed *a magno numero*, imo posse per ipsos etiam Catholicos ponи in errorum numero , non propterea statim surgente Pastorum Corpore, ut eos reprimat.,, Nihil addo præter unicum *alterius Scripti* locum : sunt enim alias infinita , quæ possent allegari. „Nonne, *inquit Autor*, post novitias maxime opiniones illas de gratia horribilis illa plaga *malorum Casuistarum* instar *vanarum Aegypti* mundum inundavit ? Videtur DEus per excepcionem sectatorum novi hujus systematis renovare judicia DEI Philosophis olim gentilibus incussa secundum epistolam ad Romanos, dum permisit eos errare in *vanis ratiocinationibus* , & tradidit in *sensus reprobos*, in quibus ea docent , quorum ipsos etiam Ethnici puderent.,, Et quis nescit , hac potissimum de causa C. U. passam esse vehementissimas illas contradictiones omnium ordinum, quæ adhuc hodie durant , quoniam corruptissima illa *Casuistarum* principia morum & disciplinae novum per eam acquisivisse videbantur incrementum atque præsidium. Nec abs re esse hunc timorem , ipsa hucusque docuit experientia , & clarissimis a maximis doctissimisque Viris luculentè ostensum est exemplis. Sed furca licet expellatur hæc quoque veritas , tamen usque recurret.

### §. VIII.

Ardua Protestantium doctrina & veritas est, quod jura legitima Principum & Magistratum multis modis violata & oppressa fuerint per Romanos Pontifices & principia jurisdictionis Hierarchicæ, qualia in theoria & praxi

praxi fuerunt: hæcque jura ex fontibus Scripturæ S. veræque jurisprudentiæ justa Reformatione ipsis sint redditæ.

\* Nolumus totum hoc argumentum data hic tractare opera. Supponimus tantisper *Theologorum & Historum nostratum doctrinas*, quoique huc pertinent, tanquam notissimas. Sufficiat nobis eam partem hujus doctrinæ adsumere in exemplum, qua statuitur, R. Pontifices in temporalia Principum & Magistratum nullam habere potestatem, neque directam, neque indirectam, eos vel deponendi ulla de causa, vel absolvendi subditos ab juramento fidelitatis &c. Videamus jam hanc veritatem, partim ut *furca expulsa*, partim ut *recurrentem*, ex testimonio *Scriptoris cordati*, quo nunc uti placet. Ponit primo, ipsum, quem allocuitur, *Episcopum* credere, quod hujus veritatis cognitio sit necessaria tranquillitatibus publicæ, quod non Ecclesiæ minus, quam Reipublicæ, sit salutaris, quod ei adhærere debeamus tanquam soli doctrinæ Verbo DEI consonæ, nec non respondentí traditioni Patrum, sanctorumque exemplis. Hoc supposito pergit: „Superest igitur quæstio, an hæc doctrina certissima, saluberrima, maxime necessaria in tota Ecclesia habeatur pro decisa? &, si nunc esset, an tradita fuerit ab universis Pastoribus quovis tempore, rejectis contrarium sentientibus? vel potius: annon hæc doctrina neglecta, obscurata, impugnata fuerit, & inter errores relata ab ipsis Catholicis? Ostendatur, hanc doctrinam prædicatam fuisse in Italia, in Hispania, in Hungaria, in Polonia, in Flandria, in Germania, omnibusque reliquis provincijs. „Provocat deinceps cum amplissimis factorum istorum paraphrasibus ad celebrem illam *Orationem Cardin. Perronii*, qua impedivit olim damnationem *Systematis Ultramontani* in hac causa, atque ostendere conatus est, non solum omnes Ecclesiæ partes reliquas id credidisse hactenus, & defendisse, sed ipsam etiam Galliam, ipsos Magnates & Tribunalia, ipsos Doctores atque Episcopos non aliter docuisse & fecisse. Provocat porro ad antiquiora *Gregorii VII.* & successorum tempora & facta, ad Conciliorum decreta contra Imperatores & Principes, qui jus ipsum damnati quoque con-

troversum non fecerint Romanis Pontificibus, & regreditur  
 deinceps ad secula novissima uno tenore continuantia hanc formam  
 docendi agendique, usque adeo, ut tandem ausi sint scribere  
 Theologi, summam in rebus temporalibus potestate Romana Ponti-  
 fici demandatam, unis exceptis hereticis, omnium Catholicorum con-  
 fessionem esse, atque sententiam, item: universam Theologorum ac  
 Scholarum inferre, & esse certum, ac de fide, quemcunque Prin-  
 cipem Christianum, si a religione Catholica manifesto deflexerit, excidere  
 statim omni potestate ac dignitate: item: hanc doctrinam non esse am-  
 biguam, ita ut utrumque opinari liceat, sed omnino certam, ita ut  
 absque injuria fidei negari non possit. &c. Quid vero jam inde con-  
 cludit Autor noster? Consectarium suum princeps: posse verita-  
 tes magnas oblitterari, damnari per Theologos, Episcopos, Pontifices,  
 Ecclesiastatas & numerosas, & fieri posse, ut, licet injuria, Catho-  
 licis eas habeant pro condemnatis per infallibilem Ecclesiae autoritatem,  
 Hoc est, nostro stylo, veritatem furca expellere. Sed quo me-  
 dio tandem illa eluctabitur ex his tricis & tenebris? Audamus  
 Theologum nostrum Catholicum. „Dicendum est, inquit, certis  
 temporibus plerosque Pastores & Christianos nimis faciles fuisse  
 in supponendo, etiam in Conciliis quibusdam generalibus, Eccle-  
 sia in potestate esse decernere de temporalibus: imo potius Ec-  
 clesiam nunquam examen canonicum instituisse de hac materia:  
 nullum praeceps formasse decretum super hoc jure praesumto:  
 nunquam decreta Pontificum, aut Conciliorum particularium,  
 consecrata fuisse per acceptationem veram, liberam, unanimem,  
 quæ toti possit tribui Ecclesiae. Etiam in hypothesi liberæ elec-  
 tionis, ad quam nonnulli recurrent, non hunc esse sensum,  
 quasi pars utraque errore & periculo careret. Quin potius no-  
 stri est officii & extremae consequentiae amplecti eam partem,  
 quæ Verbo DEI, traditioni, & exemplo Sanctorum maxime  
 venerabilium & illuminatorum consonat: eam partem, quæ ge-  
 nio religionis & finibus Christi Domini in suæ Ecclesiae forma-  
 tione convenit: eam partem, quæ favet propagationi fidei &  
 paci imperiorum: eam partem, quæ sola seditiones & regicidia  
 avertere valet: eam denique partem, quæ omnibus veritatis cha-  
 racteribus nitet, Ad extremum post descriptos gradus varios,  
 quibus,

quibus, furca licet expulsa, tamen usque hæc veritas recurreret, concludit, *hac via veritatem tantum non oppressam per fabulas Ultra-montanas rursus esse eluctatam, quamvis longe adhuc absit, ut di i ve-re possit, eam per universos Pastores (par la totalité morale des Pasteurs) fuisse predicataam, aut Romanam Curiam retractasse unquam ali-quid ejus, quod in catalogum errorum ab Ecclesia damnatorum referri curavit.* Sc. apud hanc adhuc tempus est furcillandæ veritatis: Recursui autem veritatis seu redditui illius ab exilio aliud tempus divinitus destinatum est.

## §. IX.

Docent porro *Protestantes*, tanquam factum longe verissimum, Romanos Pontifices non jure perpetuo & legitimo, multo minus divino, sed per varios casus & opportunitates, imo etiam per ignorantiam & præjudicia falsa, tantam autoritatem in totam obtinuisse Ecclesiæ, de qua in primis Ecclesiæ Christianæ monumentis altum est silentium.

\* Innumera sunt, quibus hic articulus posset illustrari. Nobis paucæ observations sufficiunt, cum tota *Historia Ecclesiastica* scatent exemplis *thesin nostram* confirmantibus. Nihil autem certius est successivis illis incrementis potestatis Pontificiæ ex rationibus quoque citatis oriundis. Sed & hanc veritatem sequior ætas obsecravit, & quantum in ipsa fuit, furca expulit ex Ecclesia. *Censor ille Romanus*, qui in THOMASSINI libros de *Petere & Nova disciplina* notas scripsit, ferre ne in hoc quidem *Theologo* potuit, quod is plurima R. P. jura in Episcopos & Ecclesiæ particulares ex *devolutione & consuetudine*, non vero ex jure repetiisset, unde patet, hos assentatores non modo potestatem, sed ipsum etiam illius exercitum usumque facere perpetuum: id quod ipse THOMASSINUS his verbis refutavit: „*Si contendas, non eandem tantum potestatem in R. sede viguisse, sed eundem etiam potestatis usum semper ubique terrarum emicuisse, ridebunt heretici, & tanto magis ab unitate Ecclesia & Sedis Apostolica abalienabuntur, quanto eam cernerent infirmioribus muniri praesidiis, & toti pugnantibus antiquitatibus.*”

Quanto satius (sic ipse deinceps pingit hanc causam, sed cum obsecratione veritatis) & seclariis lucrificiendi ac recolligendis conducibilis, ut agnoscas, salvo fidei semper unius ac irreformabilis vinculo disciplinam, mores, ususque temporum necessitatibus accommodari, nihil autem novatum fuisse demonstrare, nisi ex Ecclesie utilitate, nisi ex charitatis lege, nisi cum summa Episcopalis Collegii inter se consensione: nihil nova potestatis summo Pontifici accessisse: sed si nonnulla, quae per Metropolitanos & Concilia particularia prius exercebantur, capiit ipse unus ubique exercere, id totum perfectum esse, non alienam usurpando potestatem, sed suam explicando, aut alienam iure ad se devolutam sua accumulando, non principandi latius libidine, sed consulendi charitate, non inferiorum munia invadendo, sed eorum cessationem aut defectum supplendo &c., l. c. Ref. ad Notas Cens. Anonymi, ubi & cetera videantur. Attamen veritas nostra usque recurrit, si candidiora & recentiora quoque audiamus testimonia. Is ipse Scriptor RC. quem toties jam allegavimus, inter alias rationes mutata scena refert quoque verorum multorum decretorum genuinorumque amissio- nem, falsorum autem & spuriorum confictionem & autoritatem illegiti- mam. Ostendit ex FLEURIO ejusque verbis, falsas Decretales R. P. adscriptas occasionem prabuisse eludendis clarissimis Scriptura dictis: Principes Latinos, ut plurimum indoctos & legendi nescios, in his rebus credidisse omnia, quae ipsis persuadebant Clerici, hos vero in eadem Scho- la fuisse eruditos, uniceque ex Decreto Gratiani sapuisse. Vix dici posset sic idem ex P. COUTANT, quantum mali ha decretales intulerint Ecclesia. Vigor disciplina fuit enervatus, iura Episcoporum turbata, leges judiciorum eversa, vel saltet mutata, omnia novis fundamentis superstructa, contraria regimini per Christum Dominum instituto, nec nos juribus Episcoporum, principia docebantur in omnibus Scholis. Omnes Clerici iisdem erant imbuti, & per eos ipsi etiam Principes sedu- citi. Parum est, si dicamus, falsis his regulis non contradixisse Pontifices, aut definivisse contrarium: Imo eas adoptarunt Pontifices, reverenter habuerunt Canonista. Nec Episcopi reclamarunt directe. Et ta- men bac non erant opus spiritus, non regula fidei, non leges canonicae di- sciplina: imo bac erat eversio legum & doctrine antiqua. Quid inde concludemus, nisi quod existant tempora, in quibus pars major rever- tur tanquam confirmatum ab Ecclesia, quod tale non est, nec esse posset?

Iijiori

*Isidori statae*, inquit COUTANTIUS, nihil mirum ab hujusmodi fraudibus non ita cautum esse. Disciplinae veteris severitatem relaxaverat Praepostorum incuria. Similes ob causas, pergit *Anonymous* noster, recepta sunt nova opinione de autoritate Pape. Seism sensimque oblivioni traduntur limites a Christo Domino, & per canones positi. Denique, dum sibi objicit, licere utique falsa & suppositia hujusmodi scripta rejicere, quemadmodum eruditio quotidie hoc faciunt, responderet, igitur idem quoque sibi licere circa *Constitutionem Virigenitus*, quæ longe minora approbationis Ecclesiae habeant signa: Iequi porro, quod dari queant decisiones falso attributæ Ecclesiaz, et si longo tempore receptæ, & magna cum reverentia usurpatæ,, Addimus adhuc verba quadam FLEURII de decreto GRATIANI: *Hoc*, inquit, *roboravit & extendit* autoritatem falsam Decretalium, quæ sparsim in eo continentur: per tria enim secula alii canones nesciebantur, nec observabantur in Scholis aut tribunalibus alii. Longius adhuc progressus est Gratianus, extendendo autoritatem Pape quasi omnibus exempti Canonibus nulla allata probatione legitima. Hac ratione oriebatur in Latina Ecclesia confusa quedam notio, quod potestas Pape nullos habeat limites. Huic principio semel posito plures adieciebantur consequentia, nec Theologi novi satis distinguebant has opiniones ab eo, quod essentialis est fidei Catholica circa Primum Pape & veteris disciplina regulas., Quis non videt, in his quoque confessionibus veritatem resurgere, quam innumeri alii sepultam malling & expulsam? Sed quantula haec est portio veritatis?

## §. X.

Nihil verius est, quam quod injusta sit, in religiosis maxime causa, damnatio, cum non audit, non confessi & convicti, non rogati de vero sensu, non instituti de mente damnantis atrocibus in primis formulis damnantur & proscribuntur.

\* Quam perspicua haec sit veritas, & in foris quoque civilibus communis consensu agnita, tam certum tamen est, eam a multis pro virili parte obscurari, &c, si fieri possit, etiam furca expelli. Praevaluit pridem, & prævalet adhuc hodie praxis contraria, atque

que multo cum supercilio defenditur. Nihil hic dicam de articulis Lutheri a Leone X. damnatis: nihil de concertatione P. DU CHENE, & Anonymi Autoris Dissertationum de Bullis contra Bajum editis, quamvis omnino & magno jure huc referi possint, aliiisque monumentis similibus. Proferam verba occasione Concilii Sueffionensis contra Abalardum celebrati a moderno Theologo RC. scripta. Gravamen alterum est, inquit Autor, quod illi Concilio obvertitur, sui defendendi copiam Abalardo factam non esse. Sed vetus est hac querela, quam heretici opponere solent decisionibus Ecclesie. Ea quovis seculo renovatur. At Ecclesia suis inheret regulis, nulla ratione habita clamor, quos edunt, qui illas ignorant.. Quid opus est, ut Ecclesia eos audiat, quorum scripta habet in manibus? Maluisset Abalardus intricare rem in illius libro clarissimam.. Hinc Patribus Concilii satius visum est revocare superbum hunc hominem ad simplicitatem infantilem, & imperare illi recitationem Symboli Athanasiani de verbo ad verbum prestantam,, Quicquid sit de casu Abalardi particulari, quem jam examinare hujus loci non est, (vid. tamen Historia nostra Eccles. T. I. p. 838. seqq.) cetera sunt satis quidem dictatoria, & ad rem praesentem spectant quam maxime. Nimurum & haec veritas nostra, tam indigne habita ab his, apud alios recurrit, & majori cum candore agnoscitur. Cum a longo tempore nullibi crudius ea exercita sit iustitia, quam in Actis C. U. etiam hac occasione testimonium veritati illi oppressae cum vigore redditum est. „Magnum sc. crimen est, inquit nonnemo, se non submittere legi, quam nemo intelligit. Quando e. g. mysterium credo SS. Trinitatis, notitiam habeo claram & determinatam, quod fidei meæ objectum Deus sit Trinus, quamvis modum ejus rei non comprehendam. At in Bulla nullum fidei objectum clarum & distinctum adeat. Omnia ibi sunt vaga & indeterminata. Nihil ibi potest tentari sine periculo deceptionis. Sint hujus rei testes ipsi Episcoporum & Theologorum Constitutioni faventium Commentariorum. Legantur hi, & deprehendetur, omnes differre a se invicem, imo unum alteri esse contrarium. Dicendum igitur, Bullam esse regulam, qua obliget ad credendum fidei implicita, sed certa, veritatum indeterminatarum. Quam absurdum hoc est! Quomodo credi potest fide certa, quod credi debet indeterminatum? Fides a suo objecto pender. Quodsi igitur id, quod Clemens XI. decidere voluit,

voluit, neque per Bullam, neque ex ipsis propositionibus 101, neque per explicationes Episcoporum, neque per illustrationes ipsorum Pontificum, qui tales dare, aut ab aliis datas approbare, simpliciter noluerunt, intelligi potest, quid ergo creditur recepta hac Bulla? Credemus, quod nihil credamus. Quis nobis virtio vertet, si has veritates resurgentes & recurrentes diligenter notemus, etiam si a magna parte Christianorum expellantur & abire jubeantur in exilium? Digna autem esset haec res, quæ singulari opera tractetur. In nulla alia societate haec species injustitiae tanto gradu regnat, quam in E. R. quæ tamen ne hic quidem, ut fateatur culpam, ulla adduci potest ratione.

## §. XI.

Digna est veritas, quæ luceat ardeatque in candelabro Ecclesiæ, quod Scripturarum sacraum lectio quibusvis Christianis sit utilis & serio commendanda, quodque illæ Ecclesiæ officium suum non faciant, quæ hoc medium instrumentumque salutis & ipsæ negligunt, & a membris suis patiuntur neglegi.

\* Quam variis modis haec veritas obscurata fuerit in E. R. & a magna insuper illius parte furca quoque expulsa, Sole clariss est ex Historia, cum antiquioris, tum nostri etiam, temporis. Hanc nunc supponimus, tanquam a nobis quoque ipsis alio loco traditam. Si ullibi, certe in hac parte censorum suarum honori suo male confundit C. U. cum omnibus suis patronis, ne illis quidem exceptis, qui quasi siccissimis pigmentis eam hic ornare conati sunt, ut QUENELLUS ipse in suis ad hanc C. Commentariis ad oculum demonstravit. Nos vero veritatem tamen usque recurrentem pro instituto nostro per testes nostros ordinarios demonstrabimus. „Quam maxime possibile est, inquit alter eorum, ut Bulla damnante disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ salutarem, per quam, absque obligatione quarendi denum facultatem legendi Scripturam in probatis versionibus, haec lectio potius præscribitur ut medium ordinarium solidæ institutionis virtutisque sectandæ, haec quoque tandem proscribat hoc dogma Scripturæ & traditionis,

D

quod

quod lectio S. literarum ad omnes jure pertineat, cum applau-  
si illorum regnorum, in quibus imaginatio dominatur, non esse  
sanctiorem & salubriorem regulam in hac causa, quam quae in  
*Indice notissimo prescribitur*, & cuius observationem non satis  
diu & late extendi posse arbitrantur. Imo vero (sic alloquitur  
*adversarium suum*) jamjam mihi videris desiderare hanc regu-  
lam *Indicis*, dum aīs, licet hāc disciplina non vigeat apud nos  
(*Gallos putat*) in usū tamen eam esse in Italia, aliisque provin-  
ciis Catholicis, nec reprehendi debere Ecclesiā illi adsuatas, vel  
tempora illa, in quibus in more hoc fuit positum. Quid hoc rei  
est? Ipse statum eorum, quibus Scripturam legere non permitti-  
tur, comparas cum statu ægrotorum, qui ab usū ciborum per se  
saluberrimorum prohibentur: annon igitur fas est, ea deplorare  
tempora, & loca, quibus morbus usque adeo epidemicus est,  
ut pane omnibus prope civibus carendum sit? An rectum effet,  
si hi ægroti reprehenderent alios alio tempore & loco viventes,  
dientesque, panem excellentem eibū esse omnibusque saluta-  
rem? Si tam necessarium est fidelibus quibuscumque, non cen-  
fere alias Ecclesiā ob disciplinam a nostra diversam, cur ergo *Ro-  
mani censores* damnant *Theologum Gallum*? cur tam injustæ censu-  
ræ alibi quoque applauditur? Nonne conveniret magis laborare,  
ut aliae quoque natiōnes eruantur ex illo statu, in quo tam diu in-  
capaces tam sancte lectionis fuerunt. Cur non potius speratur,  
& infirmiores, & fortes, & ægrotos in hoc remedio suam in-  
venturos esse sanitatem & medicinam malorum animæ? An soli-  
us hæreses contagium tantopere metuendum est apud hos popu-  
los? nonne æque timenda sunt mala ignorantia, superstitionis,  
vitiorumque inde propullulantia ac longe lateque ibi regnanti-  
um? Imo sponte sua evenit, ut maximæ etiam veritates obscu-  
rentur in illis Ecclesiis, ubi lucerna sub modio absconditur. „  
*Alter Theologus RC.* dum omnia fidei dogmata ad solam Scriptu-  
ram & traditionem revocanda urget, sepositis omnibus aliis pro-  
bandi fontibus, admodum copiosus & patheticus est in hac ma-  
teria. „Dici potest, *inquit*, Deum Verbo suo in simplicitate ex-  
posito eam induere virtutem & amoenitatem, quæ nullibi alias  
reperitur. Num Scriptura nobis offert veritates hodie minus,  
quam

quam olim , amabiles? Num Spiritus S. minus dives & liberalis est erga eos, qui se totos unice ipsi tradunt? Quid non praefabit homo Zelo pro Deo & Ecclesia plenus, ardens desiderio salvandi animas, gerens J. C. in corde & ore, & fœcundus notionibus jucundis & magnificis, quas religio & Scriptura unde quaque exhibet? Si quis talis non sit, aut esse cupiat, cur docere non desinit? Imo vero ita docendum esse in Ecclesia, Scriptura ostendit, ostendunt exempla omnium seculorum. Videbimus, eos, quorum scripta constant solis Scriptura textibus paucis illustrationibus adjutis, veritatibus fidei conciliasse triumphum, convicisse gentiles, viciisse hæreticos, destruxisse errores, ipsamque religionem ab hostibus impugnatam salvam reddidisse, eosque semper judiciosis lectoribus admirationi & in deliciis fuisse: cum contra illi, qui sua scripta impleverunt ideis Philosophicis, eruditio ne vana, dissertationibus curiosis, & ratiocinationibus ex ingenio suo peccatis, quamvis hic ibi pro forma aliqua Scripturæ loca intersperserint, illi, inquam, utiles nunquam fuerint Ecclesia, imo potius nocuerint, Deo permittente, ut auctis per novos antiquis erroribus augerent quoque mala Ecclesia. Adde, ipsorum libros, post strepitum brevem, in obliuionem, obscuritatem, & contemptum postea incidisse. „ Hæc ille Scriptor tradit, scopo ostendendi, non prius salutari Ecclesiæ institutioni consultum esse, quam ad sola Scripturæ & traditionis (id enim Systema jussit addere) testimonia vel expressa, vel expressis aequivalentia, tota religionis & fidei probatio revocetur, de qua vero conclusione, prout ipse eam intellexit intenditque, in toto suo ambitu, nos nostra ex parte jam non litigabimus.

### §. XII.

Dimidia saltem pars retinetur veritatum Verbi Dei de Ecclesia, quando ad solas promissiones ipsi divinitus datas, & quidem animo gloriandi sibi placendi, atten ditur, nulla vero, vel saltem haud sufficiens, ratio habetur prædictionum & comminationum divinarum quibus mala Ecclesiæ futura, & poenæ iisdem decretæ, ad cautelam & humiliationem continentur.

D 2

\* Hæc

\* Hæc veritas non potuit non obsecurari, imo etiam quasi per furcam expelli, quam primum Ecclesia dominans in medio suarum deviationum, decrementorum, & corruptelarum nil nisi infallibilitatem, indefectibilitatem, visibilitem puram & sanctam, & prærogativas similes crepare ausa est, idque prætextu promissionum divinarum, quæ utique in se, & ceteris paribus, illustres & plane eximiæ sunt. Nunquam autem Christiani eo usque processissent contra manifestam veritatem & experientiam, si semper memores fuissent, ut par erat ac necesse, quid Dominus ipse, quid sancti illius Apostoli, de futuris decrementis & relapsibus Ecclesiæ in magna sui parte, prædixerint, & in illo quoque speculo suam faciem videre voluissent. Sed illa etiam veritas usque recurrit apud multos in ipsa quoque R. Ecclesia. Sint una ex parte triumphi maximi, & gloriaciones superbissimæ: ex altera tamen simul audiuntur voces lugubres & confessiones candidæ, quibus testantur plurimi, falsum esse sensum, quem promissionibus divinis de Ecclesia non pauci affingunt, falsum esse, quod illæ semper in majore Ecclesiæ parte, & ad eum, quem ipsi iactant, modum vel impletæ sint, vel impleri debeant, nisi eas inanæ & falsas velimus statuere: falsum, quod non etiam ad paucos, eosque sœpe oppressos & diffamatos, fideles divinarum promissionum complementum ad tempus usque suum possit coarctari, & sic deinceps. Audiamus propria talium confessorum verba. Post adducta fata Ecclesiæ Judaicæ similia sic pergit sœpe citatus Scriptor: „Quamvis inter Christianum populum atque Judaicum, inter Ecclesiam & synagogam, differentia sit, hac tamen parte sibi sunt similes, quod utriusque Deus & promissiones solatissimas, & tremendas cominationes proposuerit, & quam maxime opus sit, ut, neque his, neque illis, truncatis auctoræsis, una per alteram parte explicata, ambæ rite & legitime concilientur. Ne igitur imitemur Judæorum cœcitatem, & recordemur minarum divinarum, quas Scriptura promissionibus miscuit. Utique prædictum est, Ecclesiam semper fore columnam & basin veritatis: sed & id prædictum, fore tempus, in quo homines non amplius latrui sint sanam doctrinam, & conversuri se ad fabularum & falarularum venditores: fore ingentem numerum Doctorum aures proritan-

ritantium: fore, ut in paenam non receptæ veritatis efficacia erro-  
ris tradantur homines. Prædictum est quidem, semper adfore  
*Pastores & Doctores*, ne semper *instar puerorum quovis vento agite-*  
*mur*: sed pariter dictum est, *venturos falsos Christos, falsos propheta-*  
*tas*, etiam *AntiChristos* magno numero, falsosque illos Prophè-  
tas eo periculosius seducturos, quoniam *pellem ovinam ostendent*.  
Quodsi hi semper pauci essent, ac præterea ab Ecclesia separati,  
hac sola nota possent facile discerni. At non hac sola, sed ex  
operibus eorum, ipsos dignosci voluit *Dominus*. Prædictum est,  
semper *sanc̄tos fore in Ecclesia*: & nihilominus precari jubemur ex  
*Psalmis* ab ipsa Ecclesia, *non esse amplius sanc̄tos*, & veritatem *esse al-*  
*litratam per filios hominum &c.* Prædictum est, semper *ad futurum*  
*Pastoribus Dominum*: & nihilo tamen minus dictum est *Pastoribus*  
*Ecclesiæ sub imagine Pastorum Synagogæ*, eos *se ipsos pastere*,  
*nullam vel exiguum gregis curam habere &c.* usque adeo, ut ver-  
bum *Domini* dictum *Apostolis*: *Ero vobis cum &c.* inter alia suo tem-  
pore implendum sit in *ovibus*, dum *eas liberabit a tyrannide Pastorum*  
*gregem opprimentium*, utut illi *Apostolis* successerint. Præ-  
dictum est, Ecclesiam *semper duraturam*: sed non minus prædi-  
ctum, fore aliquando *apostasiam* satis generalem præ antecedenti-  
bus, fore tempus, in quo *Hierosolyma & Babylon* duo erunt im-  
peria corpore permixta, & solo spiru separata,, Plura alia, ea-  
que non minus emphatica, adjiciuntur ab hoc *Autore* in *sequentiis*,  
que tamen ut multiplicemus hoc loco, finibus nostris ne-  
cessarium non est.

### §. XIII.

Sed occupanda jam est objectio quædam non con-  
temnenda, quæ hujusmodi testimonii de veritate recur-  
rente post exilium obverti solet a parte dominante:  
Summa hæc est: esse prætentos hos testes filios Ecclesiæ  
spurios, male contentos, hæreticos vel hæresi vicinos,  
ad Protestantium principia deflectere coactos, dum ab  
Ecclesiæ principiis, praxi, decisione, & exemplo rece-  
dant: atque adeo illorum testimonium nullius esse pon-  
deris.

D 3

\* Ad

\* Ad hanc exceptionem nos respondemus sequentia. 1. quidem, præcipuum robur hujusmodi confessionum de veritatibus, furca expulsi prius, deinde tamen usque recurrentibus, consistere in pretio earum interno, in earum cum testimonio Scripturæ convenientia, in ipsis, quæ conjunctæ sunt, probationibus, non vero in consensu & approbatione partis reæ, cui sunt ex aliis rationibus ingratæ & odiosæ. 2. nos adducere testimonia hæc ex *Autoribus RC.* in illius communione perseverantibus, contra atroces hostium suorum imputations protestantibus, eundemque Catholicismum non minore cum fiducia sibi vindicantibus. Lis, quam exercent cum suis adversariis, nondum decisa ab ipsis creditur, hujusque sive opinionis causas habent gravissimas & speciosissimas. Nondum ejecti & separati sunt ab Ecclesia RC. Fruuntur proinde juribus & beneficiis Ecclesiæ, uti ceteri. Nec patitur suprema potestas, ut in prædam cedant suis adversariis tanquam hæretici. Possumus igitur vere pronuntiare, etiam ipsos Catholicos multa fateri, pro veritatibus habere, atque eas resuscitare, dum propius intimiusque inspiciunt signa nostri temporis, & propriam experientiam, quæ ex aliis rationibus, certe non melioribus, haud agnoscuntur, imo damnantur. 3. respondemus, manifestissimum esse, quod status præfens Ecclesiæ R. dominantis, & palpabili ac diuturna experientia illius, innimeris ipsis membris ex quibusvis ordinibus tales exprimat confessiones, quas forte alio tempore, & in aliis circumstantiis, non edidissent. Ipsa necessitas conciliandi doctrinas alias irreconciliabiles, id, quod vident, audiunt, sentiunt, ipsa Scripturarum diligentior meditatio, ipsa eventuum nostri temporis maturitas eos fateri cogunt, quod res est, vel sicut aliquam rei partem. 4. R. confessiones istas non edi in gratiam *Protestantium*: satis longe eos adhuc abesse a Systemate nostro, quod verum esse credimus: non disci ista e. nostris libris, sed ex communi hauriri fonte, in quo omnibus ad veritatem idem patet accessus: si de odio *Protestantium* quaestio sit, de palma sapere certare partes illas, & neutram alteri cedere velle: esse igitur merum ab invidia argumentum, quando vel talibus testibus domesticis ex consensu cum *Protestantibus* odium concitant, vel *Protestantibus* jus præripere  
co-

conantur justas ex ejusmodi factis pro causa bona consequentias deducendi. s. denique r. injustum, & si fortius loqui volamus, ineptum, esse postulatum, iā temporibus Criticis, a Deo ad resuscitandas veritates destinatis, nihil esse, quicquid pauci etiam sapientes & boni (si comparentur cum ingenti multitudine partis dominantis) Deo portam aperiente, dirigenteque ipsam etiam pertinaciam superbam partis majoris, ejusque effectus, ad eventus plane contrarios cognoscunt & vident, nisi prius consensus & autoritas potentior acceperit. Nunquam hæc Dei via fuit in talibus periodis: nunquam hoc tramite veritas processit ex tenebris: sed potius omnia contraria omnium temporum demonstrat experientia. Hæc in ipso etiam colloquio pluribus verbis defendere parati sumus.

#### §. XIV.

Nec illud phænomenon nobis est hoc loco negligendum, quod certo sensu etiam ipsæ corruptæ religionis, ipsi errores, non quidem furca, sed verbo Dei, & per vim veritatis, expulsi tamen usque recurrent nonnunquam, hocque titulo, paria cum veritate privilegia se consecutos esse, sibi prorsus persuadeant.

\* Quis neget, in facto rem ita habere? Vel solæ *Protestantium* Ecclesie ejus rei specimen afferre posunt copiofissima. Redit in postremis seculis & recurrerit multiplex veritas, alias non metaphorice saltem, sed sàpissime *ad literam per furcam expulsa*. Id jam non probamus, sed supponimus: supponimus vero tanquam probatum, contenti, quod argumenta solida hanc suppositionem evincant. Hic jam magna & acerrima controversia est, errore an veritas recurrerit ab eo tempore per frequentissimas in religione vicissitudines ac mutationes, non singulorum tantum & privatorum, sed integrorum etiam regnum & provinciarum? Qui *prius* statuunt, his maxime utuntur nitunturque argumentis. Ajunt, suas doctrinas fuisse priores & antiquiores, atque adeo jus recurrendi habuisse: nostros errores prævaluuisse hic ibi ad tempus, sed, quia fuerint novitii, jus postliminii esse penes

penes expulsam veritatem : Corpus Ecclesiae retinuisse pristinam  
 veritatem : partem illam , quæ prætendit restitutam a se veri-  
 tam , nonnisi superficiem fuisse , ad quam errores fermentan-  
 tes fuerint tam diu detrusi , donec veritas ad interiora se recipi-  
 ens novo cum vigore ipsam etiam superficiem occupare possit :  
 Semper suffragia majora se pro se habuisse , quæ in Ecclesia non mi-  
 nus valeant , quam in rebus civilibus : Ecclesiam infallibilem hoc  
 ipso extrusisse non veritates , sed meros errores & vitia : Rebel-  
 libus & seditiosis semper meliorem novam videri Rempublicam:  
 eos interim jure ad prius obsequium & submissionem revocari ,  
 & quæ sunt alia id genus plura . Nos vero , qui non veritatem ,  
 sed errores & vitia in his casibus recurrisse , & adhuc recurrere ,  
 credimus , non sine gravi causa in hanc partem propendemus .  
 Cogitare jubemus , quam justa & probata fuerint nostra contra  
 E. R. gravamina , quam falsum sit , ea , quæ in hac Ecclesia re-  
 prehendimus atque deseruimus , fuisse primitiva & originalia ,  
 utut eorum nonnulla satis antiqua esse in primis staminibus , non  
 prorsus abs re sit : id vere primitivum esse , quod divinæ revela-  
 tioni convenit , novum autem & substituto errore veritatis loco  
 intrusum , quod illi repugnat : quam diu de Reformatione Ec-  
 clesiæ fuerit vehementer laboratum , sed frustra propter radices &  
 robur erroris ? quam multi iisque sapientes & cordati Viri id ad  
 minimum agnoverint in notissimis religionis motibus , plurimas ,  
 easque utilles & salutares , sed oppressas & obscuratas veritates illo  
 tempore in lucem denuo fuisse protractas ? quod causæ revivi-  
 scētis & recurrentis erroris tum demum tantum acceperint va-  
 lorem , cum notorie ipsi etiam *Protestantes* in religione frigi , in  
 studiis carnis vegeti , in cognoscenda veritate ignavi , in ponde-  
 randis operibus DEI prioribus oblioviis , in æstimandis rationum  
 momentis leves & confusi , uno verbo in malam prius partem  
 mutati evaderent , quam de recursu quasi veritatis ex amore il-  
 lius sincero , & rebus omnibus probe expensis , upplurimum co-  
 gitare potuerunt . Haec tam certa sunt , quam certum , soleū  
 lucere in meridie . Dicat hæc pars , se nunquam errasse : Dicat  
 altera , se ad veritatem esse revocatam : Dicat nostra aetas præ-  
 dominans , ad se redire veritatem ad tempus hæretice & schis-  
 matice

maticē desertām. Addant alii, demantque, quisque pro suo ingenio & indole, his assertis: credant hoc, alterum negent: Forment systemata religionis exasciata, amplificata, abbreviata pro lubitu & iudicio suo. Quodnam horum verum sit? quis veritati fuerit locus? dies docebit & manifestabit decretorius, salvo interim prævio jure recte sentientium, salvo DEI jure se vel nunc in conscientiis hominum patefaciendi, salvo iudicio Verbi divini, quod in se non mutatur. Res, quam in hoc §. docere decrevimus, verissima est.

## §. XV.

In hoc fluxu & refluxu veritatis & erroris etiam profani & Libertini homines sua nutriunt scandala, nostris maxime temporibus periculosa, idque tanto magis, quo apertius caro & sanguis ex hujusmodi vicissitudinibus nonnunquam prospexit, atque ipsius Dei nomen non raro hac occasione blasphematur.

\* Quid metuant ex *domesticis* suis *variationibus*, novissimis maxime, *Q. Q. RC.* sequentia nos docent verba: „Boni, *ait eorum aliquis*, Catholici ingemiscunt: hæretici Ecclesiæ insultant: Libertini denique suæ incredulitati præsidium inde capiunt. Quid est, inquit cum insultatione fortes Spiritus, Quid est religio, nisi spiritus humani inventum, & negotium Politicum, quod tractari & retractari solet, uti quævis alia seculi negotia, quod favorem vel consequitur, vel amittit, prout validior pars tulerit, quod pro mensura diversa passionum humanarum, pro diversitate commodorum & temporum, mutatur & variat. Videamus, sic pergunt, ea, qua sub oculis nostris contingunt. Nondum viginti effluxerunt anni, cum *Molinismus* in *Facultatibus Theologiae* habebatur pro Systemate proscripto: hodie ibi in honore & incremento est. Tunc surculus *Pelagianismi*, error & fidei, & bonis moribus contrarius habebatur: nunc doctrina salutaris & sacra est. Contraria huic doctrina Ecclesiæ censebatur doctrina: nunc purus putus *Jansenismus* esse existimat, h. e. aliquid hæresi pejus. Forte, postquam variatum est in articulis fidei, ut

venditabatur , tam necessariis , idem fiet in ceteris quoque omnibus . Cum igitur custodes & Doctores religionis huc illuc se verant , instar pinnaculi ventis agitati , nos constantiores erimus , & pedem figemus in nihil credendo . Quid proderit nobis , si hodie aliquid credamus , quod forte cras ad nutum Magistrorum nostrorum iterum cogemur dediscere ? Sic ratiocinantur Liberti , nec , varietatem & inconstantiam eorum , qui deberent esse fulcrum & columna religionis , speciosum impius his ratiociniis prætextum præbere , diffiteri possumus . . . Nullum vero dubium est , quin latius serpent hæc scandala profanorum , & tam longe se extendant , quam longe lateque materiam & somitem , vel saltem illius speciem , inveniunt , h. e. per omnes Christianas nominis Ecclesias . Exasperatur præterea hoc malum per inepta & spuria remedia , qualia sunt immobilitas in errore , æque ac veritate , congrua huic fini partim servitus , partim imperiositas , dif- fidentia erga quamvis veritatem renascentem , partis majoris in- violabile prædominium , erga ipsum errorem veterem submissa credulitas , præconium securitatis in obedientia cæca , aliaque si- milia , de quibus longa ac diuturna constat experientia , esse ea mala ipso morbo pejora , & ne quidem eam vim habere , ut pos- sint suum , qui inde speratur , effectum feliciter consequi , & con- stanter tueri . Neque etiam in aliis partibus cessabit scandalum fre- quentis & vitiosæ circulationis errorum & veritatis cum funestis illius effectibus , quam diu inter Christianos quoque ceteros in ve- ritatibus religionis principibus non acquiescitur , gustatus veritatis fructus pruritum curiositatis & speculationis immoderata non suffocat , solida & assidua praxis religionis otiosos alias & va- cuos homines non occupat , atque immensa *αλλογία* , in quibus sibi ab infinita argutandi licentia temperare non possunt ingenia hominum , per satietatem divinam in necessariis & proxime fa- lutaribus , non præscinduntur . De cetero minima pars scandali hujus est , quod ipsos ferit homines , & in eorum capita recidit . Hi utplurimum merentur suam poenam multiplici culpa . Sed tristissima res est , quod in temerariis & venenatis illis judiciis , qualium supra mentionem fecimus , ipsum Dei nomen non raro blasphematur . Disputant tunc audacter , cur Deus veritatem se in e-

pate-

patefactam patiatur interum intercidere? cur promissionum adeo magnificarum tam exilis & sterilis sit exitus? cur restituta etiam veritas tam parum duret, & vix orta stabilitaque in novas se abscondat tenebras? Ut taceamus, ad quas angustias infirmi etiam pii per hec amara & tenebricosa cogantur intervalla, quando & illi inter hujusmodi paroxysmos clamant ad Dominum: Usquequoque Domine? ubi sunt promissiones tuae? Num in secula deseret Adonai, & non addet propirtus esse amplius? Num desit in perpetuum misericordia ejus, defecit verbum in generationem & generationem? quæ verba Ps. LXXXVII. 8. seqq. sic παραφερετ Augustinus: Quid est hoc? Illa omnia promisisti, tu vero ista contraria fecisti. Ubi sunt promissiones, illa paulo ante gaudebamus? Tu vero, tu, qui promis- tebas, illa promisisti, & illa fecisti. Quid vero scandalis piorum, ludibriisque impiorum in hoc fluxu & refluxu veritatis & erroris, in quibus saepe promissionum suarum oblitus videri possit Dominus, opponi debeat? ipse nos in verbo suonon sivit ignorare. Docet illud nimirum, promissiones divinas non semper recte ab hominibus intelligi: ad congrua subjecta, in quibus impleantur, vel impleta haberi possint, non semper applicari: non esse ad solas promissiones, sed ad promissionum quoque conditiones attendendum: has non semper, non ab omnibus, non cum debito vigore & Zelo impleri: id in causa esse, cur divinae promissiones saepe vel plane non, vel parce & sparsim saltem impleantur: cur judicia potius divina, & minarum effectus, locum habeant, idque nonnunquam gravipondere & mensura: cur in specie lychinus moveatur de loco suo, ut non amplius luceat, vel obscure saltem luceat, & multæ succedant tenebrae: Confundi etiam tempora implendarum promissionum, & deliquia temporaria prevalentia cum triumpho finali, duraturo, & perpetuo, aliaque id genus plura, quæ non modo tranquillandis piis, sed etiam pudefaciendi insultationibus & ludibriis profanorum, qui ansam ex his casibus arripiunt Deo & veritati illudendi, possunt quam maxime sufficere, & si nunc non sufficient, revera aliquando sufficient.

## §. XVI.

Denique mirum videri possit, errantes æque ac veritatem possidentes, bonos æque ac malos, imo partes sibi contrarias & secum invicem belligerantes, spem suam & expectationem in hoc recursu pleno & vegeto veritatis obscuratæ & expulsæ defigere, cum per ipsam rei naturam fieri non possit, ut spes illorum omnes, eoque, quo id concipiunt, modo impleantur.

\* E. g. Pars dominans E. R. sperat in continuatione, incrementis & pleno fastigio status sui praesentis per omnia felicitatem Ecclesiae consummatam in his terris: pars illa, quae se in illius finu oppressam credit, sperat quavis contraria: sperat quidem salutem & gloriam suam Ecclesiae, sed quam tum demum futuram credit, si praesens illius status in meliorem & sanctiorem transierit. Utique hanc spem & expectationem suam publice & cum emphasi declarat, dominans cum triumpho & exultatione, pressa *avvav-  
pws*, gemebunda in praesenti, redacta prope ad incitas, nec ramen sine fiducia & parrhesia. *Protestantes* sperant & expectant descensum Hierosolyma ex celo post plenum illum *Babylonis* mysticae *cajum*, quem *Scriptura Prophética* denuntiat. Tota *profavorum & Libertinorum* colluvies eam lucem, quae ipsorum judicio in aurora hucusque fuit, tunc demum in pleno jubare apparituram credit & sperat, cum ipsi perfecte ex ephebis erunt educiti, cum cessabit nomen religionis revelatae, nomen Ecclesiae, Ministerii, cultus publici, omnis in universum, secundum ipsorum alphabetum, supersticio. Hoc aureum ipsorum seculum esset, hoc regnum millenarium in illorum Systemate. Quorumvis autem vero sapientium & proborum spes, desiderium, & symbolum est: Non, si male nunc, & olim sic erit. Falsa & imaginaria spes deludetur: vera & legitima certo certius implebitur. Fundamenta hujus spei sive legitimæ, sive illegitimæ, docet Verbum Dei: even-  
tum docebit dies.

## COROL-

## COROLLARIA.

I.

*Allor libelli: Le monde fous preferé au monde sage: ut ex toto contextu apparet, sub nomine conscientia id, quod alias Verbum internum dicitur, insinuare atque defendere instituit: quo scopo ignorato aut neglecto is ipse, qui in Mem. de Trev. ad A. 1735. eundem recensuit, illum recte intelligere non potuit, in eo quoque falsus, quod Ministrum quandam Reformatum in Hollandia exulem Autorem faciat. l.c. p 807. seqq.*

2. J. B. LABAT, postquam alicubi scripserat, Arabes, etiam modernos, infinitos progressus in scientiis habituros, si iisdem, ut olim, hodie quoque darent operam, statim subjicit: *Mais ne deviendroient-ils pas orgueilleux, entetez, contredisans, querelleurs, plein d'eux memes & de leur chimeres, comme sont nos savans?* V. Mem. de Trev. ad A. 1735. p. 925. Quam male hic eruditus de eruditis jucicat?

3. Curiosum est Episcopi HUETII de Jesuita HARDUINO judicium: *qu'il travailloit depuis 40 ans a ruiner sa reputation, sans en pouvoir venir a bout.* ap. Mem. de Trev. ad A. 1734. p. 111. Alludit is procul dubio ad infusum HARDUINI Systema notissimum de conflictis recentius plerisque Patribus, Historicis, & Autoribus aliis Antiquitatis, quod ipsi PP. Societatis ibidem monstrorum, & des ecarts etonnans nominant. Postrema autem hujus judicij Huetiani verba procul dubio non omni sensu vera sunt.

4. Est quidam Doctus ex eodem ordine, qui in *Memoire sur l'origine des Negres & des Americains: Nigros derivat ex Caino, cuius corpus in nigrum DEus mutaverit: idque signum Caino impressum Gen. IV. 15. interpretatur.* Americanorum vero originem Lamecho affinat. Præcipua ejus ratio est, quia illa colorum differentia non gnatur. Ex climate, sed ex genere & familia. V. Mem. de Trev. ad A. 1733. p. 1927. seq.

5. Quia objici poterat huic hypothesi diluvium, ictum hunc declinat Autor statuendo, *diluvium universale non fuisse, nec terigisse terras a Cainitis possessas.* Ad objectionem, quomodo in Americam per-

pervenerint? respondet, per navigationem id factum: car, inquit, il ne faut pas croire, que les premiers hommes ayent ignore cette science si nécessaire pour le commerce de la vie, etant instruit par Adam, qui n'ignorait rien. *ibid.* Nos vero dicimus, si cetera omnia vera essent, quod tamen credent paucissimi, sine controversia falso esse, quod Adamus nihil ignoraverit.

6. In iisdem Commentariis celebribus hæc quoque verba legimus: Un *P.* en Angleterre, un *V.* en France, comme s' ils eussent une mission speciale pour cela, & avec une espece d' Enthusiasme, ne cessent nous precher en prose, & en vers, qu'il n'y a pas de mal, que la nature est bien, que le Systeme regnant est celui de belle nature, qu'elle est telle, qu'elle a du etre, qu'elle ne pouvoit etre autrement. *V. l. c. ad A. 1737. p. 222. seqq.* Nos hos Poëtas Philosophos suu Censori relinquimus.

7. COCCEJUS verba ultima *Psalmi LXXXIX.* Noti mei sunt tenebre: de Mælia hunc in modum explicat: Spiritus tenebrarum mundi cingunt & percellunt, mibiique insultant procacissime. CERICUS vero: Innuit Psaltes, amicos suos non ausos in publicum progrederi propter illius calamitatem, quam amoliri ab eo non poterant &c. ad h. l. Possunt etiam verba de amicis defunctis intelligi: vel inverso subiecto: tenebras & afflictiones nunc sibi esse, quod olim amici & familiares. Uterque sensus bonus est. Posterior tamen videtur simplicior.

8. Bonum omen præbent *Cogitationes Postiores* Virorum Doctorum nostri temporis maturi judicii tandem emersuri sensim sensimque e nuperis controversiis.

9. Theologi RC. qui contra attritionarios, quos vocant, sua in Ecclesia pugnant, male in hanc controversiam Lutheri & LL. nostrorum Symbolicorum intridunt sententiam, quod proprio loquendo Deus non possit amari nisi nobiscum reconciliatus, h. e. justificatus. Nihil Nostris cum ea attritione negotii est. *Vid. BOSSUET T. I. Hist. des Var. p. 122. seq. Eclairciss. Theol. p. 26. Lettres a Mr. de Soissons p. 101.*

10. BELLARMINI verba vexatissima sunt: Si Papa erraret praescribiendo virtutia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere, virtutia esse bona, & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare: tenetur enim in rebus dubiis Ecclesia acquiescere iudicio summi Pontificis. *L. IV. de R. P. C. VI. p. 1262.*

11. Ver-

11. Versatur *Cardinalis* in probanda infallibilitate R. P. in rebus ad mores spectantibus: utitur vero ratione ab absurdō petita. Absurdum in eo consistit, quod errante in decretis morum Papa teneretur etiam errare Ecclesia. Ratio hæc est, quia in rebus dubiis tenetur R. P. iudicio acquiescere. Scatent vero omnia meritis contradictoriis. Si Papa est infallibilis, nunquam aliquid hujusmodi decernit. Quodsi vero decerneret, certum hoc esset indicium, eum non esse infallibilem, neque Ecclesia tum teneretur in eo iudicio acquiescere.

12. Intricavit itaque se in his paradoxis **BELLARMINUS**: sed nunquam hæc illius mens serio esse potuit, ut crederet, si Papa virtutem vitium, & contra, declararet, Ecclesiam hoc illius sequi debere iudicium. Quin potius ex eo, quia Papam infallibilem credidit, id fieri non posse, voluit ostendere. Sed hæc sunt conjectaria studii aperta saxe paradoxa ex nexus & Systemate defendendi.

13. *La principal Riformatrice e anche la prima riformata*, inquit **PALLAVICINUS** Hist. Conc. Trid. L. XXIII. c. 7. quod procul dubio de officio magis, quam factò ipso, intelligendum est. Alias enim falsoissimum, omnes eos, qui alias tenentur reformare, a seipsis semper serio & perfecte incipere. Multo minus id de E. R. verum est.

14. Est subtilis ejusdem **PALLAVICINI** distinctio, quod *Spiritus S. non potuerit quad interna ad Concilium defiri per veredarios: potuisse vero R. P. procacciari l' esterna luce dello Spirito S. per valigie de' Corrieri. V. L. c. L. XVI. c. X. & l' Evangile Nouveau du C. P. p. 259. 235.* His næniis irridere voluit celebrem illius periodi Satyram. Sed male.

15. Verba *Psalmi XC. 4. Revertimini, filii hominis: plerique expoununt de reditu in terram post mortem ad analogiam Gen. III. 19. COCCEJUS vero putat, duram fore ellipſin, & phrasin adhuc duriorrem, nec min. abite tunc potius dicendum, quam redite.* Interpretatur igitur hunc textum de reditu per resurrectionem: idque maxime verbis *versus seq. pulcherrime convenire existimat. ad b. l. CLERICI* contra ideo hæc expositio non placet, quia non credit, doctrinam de resurrectione illa extate jam fuisse cognitam.

16. Uterque sensus procul dubio veritatem continet, si in se spectetur. Verbum quoque: *redite: utrumque sensum pati, rursus certum est.* De cetero neque **COCCEII** ratio pro sua sententia, neque **CLERICI** pro altera, mihi omni ex parte placet.

17. Au-

17. Autor *Articuli LXX. des Mem. de Tr. ad A. 1735. Continuationem Historie Fleuriana P. le FEURE* in Casuistis modernos fortiter declamantem aculeate monet, cur non & aliquam mentionem fecerit *Bajanismi, Richerismi, Jansenismi, & perjurorum illorum subscriptorum*, qui jurato nomen suum adscribant formulis, quas non credunt. Hic *Phariseismus*, addit, *non minus perniciosus, quam alterum p. 1300. seqq.* Sc. & Ecclesia R. suos habet *Ismos*, eosque non contemnedi ponderis.

18. Quando idem P. le FEURE laudat fideles primorum seculorum ob diligentem Scripturæ lectionem, quodque ibidem suis casus conscientiæ sine obscuritate, & procul ab adulatio[n]e decisos quæsiverint invenerintque, sic ipsi Censor ipsius respondet: *Comment veut on nous persuader, que dans les premiers siecles de l' Eglise les simples fideles, dont selon toutes les apparences le plus grand nombre ne favoit pas même lire, lissoient assiduum l' Ecriture S.?*

19. Pergit: *Et quand ils l' avroient lue, comment auroit-elle decidé toutes leur doutes sans obscurité? Ce principe est trop favorable aux Protostans, & approche beaucoup de l' esprit particulier des Calvinistes. I.c. p. 1299. seqq.*

20. *Prima objectio* solvi potest ex historia traditionis & traditorum, quæ luculenter testatur, quam diligentes lectores & custodes religiosi Scripturæ primævi fuerint Christiani. Altera vero decidi potest ex iis, quæ §. 3. Diff. hujus p. 7.8. leguntur. Utique longissime præstat, (etiam ex principiis religionis R.C.) si vel simplicissimi ex ipsa Scriptura casuum suorum decisionem petant, quam ut eam querant apud Casuistis illius ordinis, de quibus P. le FEURE ibidem loquitur.

21. Ill. Autor Anglus *Psychometri* describit characteres ingenii sublimis, profundi, solidi, subtilis, delicati, vivi, masculi, ampli, additis ubique exemplis: postea vero ostendit, quomodo degenerare soleant. *Le profond, inquit in versione Gallica, est quelquefois obscur: le sublime frié souvent le chimerique: l'esprit trop etendu tombe dans le vague: la solidité rend quelquefois lent & pesant: la subtilité degenera en idées guindées: le delicat en précieux: le lumineux en éblouissant: le vif en légereté superficielle: & le male en hardiesse audacieuse.*

V. *Mem. de Trev. ad A. 1735. p. 700.*



EO-Beg. 2002

01 A 6729

Retro

Th. 4





t. 3

# VERITAS DIVINA FURCA LICET EXPULSA TAMEN USQUE RECURRENS

QUAM  
DEO JUVANTE  
PRÆSIDE  
CHRISTIANO EBERHARDO  
WEISMANNO,

THEOL. D. ET PROF. ORD. atque DUCALIS SEMI-  
NARI THEOLOGICI SUPERATTENDENTE

*Ad dies Mensis JAN. A. D. MDCCXL.*

*h. locoque solitis*

*Publice ventilandam proponent*

*RESPONDENTES*

M. JOH. JACOBUS ERBE, *Tubingensis.*

M. JOH. BERNH. DESPINOV, *Urac.*

M. FRID. CAROL. WINTER, *Stuttg.*

S. Theol. Stud. & Serenissimi  
Stipendiarii.

---

*TUBINGÆ,  
LITERIS JOSEPHI SIGMUNDI.*